



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Magna Gloria Antiquæ & Novissimæ Domus
Schwarzacensis A Magno Sacerdotio Sive Vita & Res
Præclare Gestæ ... DD. Abbatum Celeberrimi &
Antiquissimi Monasterii O. S. B. in Münster-Schwartzach**

Friedrich Karl <Bamberg, Bischof>

Wirceburgi, 1743

Hardwigus Abbas III.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64362](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64362)

dit. Utrique Monasterio præfuisse Abbatem Schwartzacensem duplex pedum, quod insigne Schwartzacense exhibet, in hodiernum usque diem satis declarat. Annus & dies, quo Madelbertus obiit, non constant; opinio est, eum è vivis excessisse anno Christi 867. utpote quo illi suffectus fuit

HARDWIGUS ABBAS III.

De quo procul dubio multa laude digna commemoranda venirent, si modò res & ab eo & successoribus, usque ad tempora Egeberti Abbatis, laudabiliter gestæ vel diligentius litteris consignatæ fuissent, vel scripta temporum injuriâ non interiissent: quæ de eo ad nos pervenerunt, luctuosa sunt & perquàm funesta; quorum memoriam in nostris aliorumque animis obliterari cuperemus, nisi præteritorum malorum secura recordatio dulcedinem haberet: diripiebantur nimirum Monasterii nostri bona miserum in modum, adeoque inclinatæ erant illius res, ut nisi Episcopus Herbipolenses nonnullos nobis amicos, Adelberonem illum præcipuè in 2do ab hinc sæculo circa annum Christi 1047. Divina
boni-

bonitas largita fuisset, Monasterii Schwartzacensis vix nomen restaret, & seges esset, ubi illud nunc excitatum est. Vixit Hardwigus ætate Ludovici & Caroli Imperatoris Junioris, & Arnonis Episcopi Wirceburgensis; eum fatis functum anno 892. excepit

EBBO ABBAS IV.

Is ad clavum Monasterii nostri sedebat Arnolpho, Ludovico, & Conrado Imperatoribus; Rudolpho, aut ut aliis placet, Dracholfo Episcopo Herbipolensi: Et sanè in maximæ felicitatis loco numerare poterat Ebbo, quòd in tempora incidit Episcopi tam pii, & erga Monasterium nostrum, quod ferè ad incitas redactum erat, tam munifici. Nam præter varios pagos multa prædia & vineas nobis liberaliter tradidit, Conrado Imperatore piam Episcopi liberalitatem non laudante modò, sed, edito super ea re diplomate, auctoritate Cæsareâ confirmante. Deinceps tamen insuper habitâ & Conradi Imperatoris & Dracholfi auctoritate bona Monasterii rursus variè distrahebantur; Imò eò demum res nostræ reciderunt, ut abhinc annis omnino octoginta, ad annum sci-